

**Epicedion lugubre cum  
nobilissima matronaliumque  
virtutum splendore maxime ...**

*1700-1829 81 Cbza Fo1. 1710 Barckmann o. Luhr*



National Library  
of Sweden

EPICEDION LUGUBRE

Cum

NOBILISSIMA MATRONALIUMQUE VIRTUTUM  
SPLENDORE MAXIME CONSPICUA

MATRONA

SUSANNA  
BARCKMANN,

VIRI

AMPLISSIMI PRUDENTISSIMIQUE,

DOMINI

HENRICI LUHR,

SENATORIS NEOVIENSIS

CONSULTISSIMI

CONJUNX QUONDAM PIENTISSIMA

IN TEMPLO CATHEDRALI ABOENSI

QUINTO CALENDARUM AUGUSTI

ANNI M DCC X

TERRÆ MANDARETUR

RAPTUM COMPOSITUM

A Quodam

TAM AFFINITATIS QUAM BENEFICIORUM

JURE

DEVICTO AMICO

ERGA PIOS MANES CONTESTANDA

GRATITUDINIS GRATIA.





Uisquis eris, forsan mihi non noscende Sodalis!

Quisquis eris, nota non probitate carens!

Hæc Quicumque tuo dignaris cernere vultu

Carmina, non docta nunc mihi ducta manu.

Ne mirere, rogo, cur nil nisi fundere lessus

Sustineam, & tristes cogar inire modos;

Causam si nosset luctus, hoc dicere certo

Audeo, nec possum dissimulare jocò,

Causam si nosset, inquam, non plangere cesses,

Sed cuperes gemitus fidus adesse comes:

Haud etenim simplex quassat præcordia vulnus,

Compungunt pectus, spicula terna meum:

Conjugis, ah! doleo sortem Natum Generique,

Quam facit afflictam, mors nigra falce sua.

Quærere si pergis, quæ sit mea causa querelæ?

Et quis jam moeror viscera cuncta premat?

Ecce! lares atro squalent En! rostra colore,

Omina tristitiæ, quid nisi grandis erunt?

SUSANNAM efferri dicunt cognomine BARCKMAN

SUSANNAM, quâ non castior ulla fuit.

Sic igitur Conjunx sua linguæ vincla resolvit,

Atque modo tali, tristia verba facit:

Te queror, O! uxor fatò immatura peremta,

Te plorat lectus, Te mea tota domus,

Te

Te pietate sua non vincit SARA celebris  
Cara mihi RACHEL, Tu mea semper eras.  
Teque tori lacrymant carissima pignora nostri,  
Et clamant Matrem jam periisse suam;  
Ergo gemo meritò, nec finem imponere possum,  
Gutta riget crebrò, lumen utrumque meum.  
Et Tu qui hæc volvis, modo Mi memorate Sodalis,  
Adde tuos mecum fletibus hisce Patris:  
Vixit, dic vixit, cursum SUSANNA peregit,  
UXOR, Nestoreos vivere digna dies!  
Vixit, proh! vixit vel in ipso flore vigoris,  
Eripit hanc mortis præcipitata dies.  
O! fati feritas, O! parcere nescia Parca,  
Tu cor, Tu mentem, Tu omnia membra quatis;  
Ergo non ulli cautum est, quid fiet in horam,  
Et quæ credideras firma, repente ruunt;  
Lex eadem est hominum vitæ, quæ labilis herbæ,  
Una dies nasci, quam videt, una mori,  
Nec sibi quisquam audet tacito promittere voto,  
Accedet vitæ crastina summa meæ.  
Sed quò me tandem luctus, quò me feret horror?  
Nonne objex planctus nonne repagulum erit?  
Haud decet, heus frontem funesta obnubere semper  
Taxo, seu lacrymas fundere ad instar aquæ.

Ergo

Ergo Pater, Natique Gener fletum cohibete,  
Vivit ovans Conjux, læta hilarisque Parens  
Vivit ovans Christi teneris amplexibus arctè  
Implicita, immunis vi, Satanæque dolis.  
Immunis vivit fucatis moribus orbis,  
Quippe choro in Superùm subdolanus abest,  
Vivit & æternum victura est Numine plena,  
Quod vocat, En! Socium, quod vocat omne suum.  
**DICITE: VIVE, VALE CONJUX, MATERQUE SUSANNA,  
TU VALE, COR NOSTRUM, DELICIEQUE MERÆ.  
OSSA QUIETA CUBENT NUNC SUBDITA MOLLITER UMBRÆ,  
DUM TUBA LÆTISONUM, SURGITE! DICO, SONAT.**

